

- 7 ^{a)} Quis tandem locus alicui relinquitur, dilectissimi, ut dicat vel
suspicietur casu aut fortuito ^{b)} et non iudicio seu per providentiam Dei
contigisse malum istud ^{c)} tanti incendii? Fuerunt enim et sunt homines
5 plerique ineruditi putantes cuncta, quæ sub sole fiunt, casu agitari et
nequaquam regi mundum providentia Dei, maxime pro ^{d)} eo quod sepe
prospera iniustus et adversa plerumque eveniunt iustis, et de hoc mur-
murant in cordibus suis. Contra eos, qui eiusmodi sunt, Ieremias ^{e)}
propheta lamentando loquitur: *Quis est iste, qui dixit ut fieret, Domino*
non iubente? Ex ore altissimi non egredientur nec mala nec bona? Quid
10 *murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis?* ¹⁾ Infidelis namque animi
est hoc dicere quod *ex ore altissimi non egrediantur mala nec bona*,
id est nec adversa nec prospera, exempli gratia ut incendio Baby-
lonio ^{f)} concremaretur Ierusalem ^{g)}, quod tunc evenerat, quando la-
mentans hec loquebatur Ieremias, et rursus ^{h)} post annos septuaginta
15 solveretur eiusdem populi captivitas. Infidelis (inquam) et murmuriosi ⁱ⁾
est animi dicere vel suspicari, quod nihil horum iubente Domino factum
sit, sed casu cuncta evenerint, cum et alius propheta dixerit: *Si erit*
malum in civitate, quod Dominus non fecerit? ^{k 2)} Eiusmodi infidelitas,
fratres karissimi ^{l)}, nobis cavenda est. Audiamus potius quid ibidem in
20 Ieremia continuo sequitur: *Scrutemur vias nostras et queramus et*
revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Deum
in cælos ³⁾. Si enim veraciter vias nostras scrutati fuerimus et scienter
dixerimus quod sepe dicimus: *Peccavimus, iniuste egimus, iniquitatem*
fecimus ⁴⁾, inveniemus nos minora recepisse quam meremur; ^{m)} quia
25 baculo quidem iudicii percuti merebamur, sed misericordia super-
exaltante iudicium paterne virga disciplinæ parumper tacti sumus ⁵⁾.

- 8 Causam nunc dicere libet, cur turres huius castelli odiosas nobis
in ^{a)} initio ^{b)} reputaverim dicendo: *turres enim circumstantes odiosas*
nobis ^{a)} *mira velocitate victrix flamma comprehendit*; hoc enim polli-
30 citus sum subiungendo: *Causam post hæc dicam, cur turres iam dictas*
odiosas nobis fuisse vel esse dixerim. Attendite ^{c)} ergo, karissimi ^{d)}

7 ^{a)} c. 7 fehlt J ^{b)} fortuitu B ^{c)} illud AM ^{d)} pro fehlt AM
^{e)} Hieremias AM stets; B meist Iheremias ^{f)} Babylonico M ^{g)} Hierusalem
AM stets; B meist Iherusalem ^{h)} rursum M ⁱ⁾ murmurosi M ^{k)} fecit B
^{l)} dilectissimi statt fratres kar. AM ^{m)} folgt et B

8 ^{a)} in initio ... odiosas nobis fehlt AJM ^{b)} odiosas fehlt B ^{c)} Au-
dite B ^{d)} char. AM, car. J

¹⁾ Thren. 3, 37—39 ²⁾ Amos 3, 6 ³⁾ Thren. 3, 40—41 ⁴⁾ Ps. 105, 6
⁵⁾ Vgl. Ps. 22, 4. 6 ⁶⁾ c. 2